



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 87. Principes autem Sacerdotum & omne consilium quærebant falsum
testimonium contra Iesum. v. 59.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

omnibus diebus vitæ meæ peccata mea, & merear gratiam & dilectionem tuam.

§. 87. *Principes autem Sacerdotum & omne consilium querebant falsum testimonium contra Iesum.* v. 59.

Cum Petrus in mala societate ministrorum versaretur, in tanto periculo peccandi, principes Sacerdotum, & omne concilium conuocatum per Caipham Pontificem, volentes suis insidiis iudicij recti laruam & formam imponere, examinant, & inquirunt super dictis factis vita & moribus Christi Iesu, & dum nullum malum in vita eius & factis inueniunt, conueniunt inter se ut quoquo modo possint excogitentur & inueniantur falsi testes, qui calumnientur de vita, moribus, doctrina, iustitia eius, donec inueniant argumentum per quod eum apparenter iustæ morti adiudicare possint.

Sic pro dolor omnes mali & inuidi faciunt, de bonis & viris iustis inquirunt, indagant ut noceant, & si quod etiam bonum in eis deprehendunt, sinistre interpretantur, calumniantur, scandalizantur ipsi & detrahendo alios secum scandalizant.

Domine Iesu author iustitiæ ob iniustis impetite da illam gratiam obsecro mihi ut nunquam nisi iustus, ab auctoritatem habente, de iustitia, vita, moribusque aliorum indagem, neque ex mala aliqua & sinistra intentione nocere ei velim, siue in corpore siue bonis externis honore, aut anima, sed potissimum omnes actus proximi, si boni sint, bene interpreter & laudem; si mali sint, excusam potius quam per ea illum denigrare aut ei nocere velim.

§. 88. *Vt eum morti tradarent.* v. 59.

Ecce finis tanti consilij & consultationum, Ecce peruersam Principum & leniorum intentionem. Quæ runt falsa testimonia, ut Christum morti tradere queant, quam bene dictum est à Daniele c. 14. *Egressa est iniquitas à senioribus.*

Magi quærebant Dominum, ut eum adorarent, parentes ut eum custodirent, Turbæ, ut eum tangerent, Seniores isti ut eum interficerent? sed quandoquidem occidere decreuerunt, cur non fecerunt id absque omni testimonio? 1. ut ipsi principes consulerent honori suo, ne dicerentur homicidæ, adeo suam iniquitatem & inuidiam forma aliqua judiciali palliabant, pugionem jam paratum gerebant; sed pallium quærebant, sub quo ferirent. 2. quia Pilato tradendus erat Christus ad necem, is autem nullo audito testimonio, non facile permotus fuisset ad Christum condemnandum, sicut & ægre fuit contentus etiam ipsis quæ contra Iesum attulerant. 3. ad

G

maior